

CASUS XXVII. Ernestus divertens ad Patritium cauponem eidem pecunias suas ac sarcinas concedit custodiendas. His autem furto sublati Ernestus convenit Patritium, ab eoque petit restitutionem. Teneturne Patritius compensare damnum?

R. Dum in caupona quis divertit, resque suas hospiti aut hospitæ asservandas tradit, censetur esse Depositum necessarium. Quodsi negaretur Depositum, probatio posset fieri per testes juxta Edictum de 1667. tit. 20. de factis probandis art. 4. coactioque corporalis locum haberet in ordine ad restitutionem juxta art. 4. tit. 34. ejusdem Edicti. Verum probatio a iudice non posset institui nisi cum cognitione causæ secundum qualitatem personarum ad circumstantias facti. C. D.

CASUS XXVIII. Athanasius mercator mittit Eligio veredario publico merces aut pecunias ad amicum suum in alia civitate transportandas; pecuniæ autem furto furriuntur, & merces deteriorantur. Teneturne Eligius Athanasio ad restitutionem ac compensationem damni?

R. Veredarii, vectores ac portitores publici spectantur tanquam depositarii Depositorum necessariorum, iisdemque legibus stringuntur, quibus depositarii simpliciter, non tenentur tamen de jactura commissarum sibi sarcinarum, nisi eorum tabulis inferi curentur: & si in fasciculo contineantur pecuniæ, quin id ipsis notificetur, quantitasque pecuniæ eorum registris inscribenda curetur, neque de his rationem reddere tenentur. C. D.

DEPUTATIO.

1. *Deputatio* proprie loquendo est ablegatio unius aut plurium personarum ad Principem, aut ad aliquem in prima dignitate constitutum, aut ad congressum aliquem pro tractando ibidem quodam negotio. In eo sensu, quo hic sumitur, deputatus dicitur ille, cui committitur potestas ab una vel pluribus personis, a quibus scilicet mittitur, tractandi quoddam negotium, aut dandi suffragium in electione. Integræ provinciæ, communitates, ordines vel laici vel Ecclesiastici, sæculares vel regulares, ac etiam privatæ quædam personæ suos possunt habere deputatos.

2. Deputatus tenetur Literas suæ Deputationis exhibere iis, ad quos mittitur; nec ipse Legatus Pontificius in Gallia ab hac regula est exceptus. In Gallia incolæ urbium & membra Communitatum non possunt Deputationem facere, nisi prius ejusdem causæ & necessitas a Magistratibus

bus fuerit insinuata Præfectis provinciarum, iisque Deputationem fieri permiserint. Deputati ad comitia generalia Cleri Gallicani debent esse in Sacris constituti, & in Dicecesi, a qua deputantur, Beneficium possidere; fruunturque omnibus privilegiis per tempus Deputationis suæ concessis.

3. Deputatus cum tantum agat nomine Procuratorio, ad nutum revocari potest; ejusque potestas eo momento expirat, quo revocatio ipsi significata fuit, modo res sit adhuc integra, id est, nisi jam perfecerit commissum sibi mandatum, aut agere jam inceperit ante revocationem suam. Pariter deputato liberum est a sua commissione se abdicare, modo id, si possit, mandanti significet, neque per repudiationem suscepti mandati ullum mandanti inferatur præjudicium.

4. Si mandans obierit, & ejus mortem ignoret deputatus, ratum illud & validum haberi debet, quod in tali ignorantia bona fide post mandantis obitum gessit.

CASUS I. In aliqua Congregatione sæculari in Gallia viget consuetudo, ut deputatus eligatur in domibus particularibus, ubi præter suffragia præsentium etiam admittuntur suffragia scripta absentium. Dydimus hoc modo fuit electus in deputatum ad Conventum generalem.

R. Electio hæc est quidem valida; sed nullatenus legalis. Si ageretur de Deputatione facta a capitulo ad electionem Episcopi, Deputatio Dydimi foret nulla juxta Sainte Beuve; quia in hoc casu deputantes debent esse præsentibus vel personaliter vel per procuratorem, & aliter facta electio non valet c. 3. de Elect. Id tamen non requiritur pro communitatibus sæcularibus; quia *pœnalia extendi non debent.* Pontas.

CASUS II. Theophilus Religiosus & Superior deputatus est a suo Monasterio ad Capitulum generale Ordinis. Sed cum nollet exhibere literas testimoniales Deputationis suæ sub prætextu, quod jam aliunde omnibus sufficienter notus esset, exclusus fuit ab electione & ferendo suffragio; ipse autem protestatur contra omnia, quæ in Capitulo pertractantur.

R. Recusatio Theophili injusta est; & consequenter etiam protestatio ipsius inutilis. Juxta Innocentium III. non creditur quis delegatus, nisi Delegationem probet. Non potest autem procuratio esse legitima, nisi 1. nomen delegantium exprimat. 2. Causam, ex qua hic potius quam alius in procuratorem electus est. 3. Potestatem expressam agendi & approbandi id, quod stabilitum fuerit. Penes Capitulum

vero generale est inspicere & examinare tenorem procurationis, ut judicare possit, an sit valida & sufficiens. *Pontas.*

CASUS III. Eventius Archidiaconus & Canonicus Ecclesie Turonensis fuit electus in deputatum secundi Ordinis ad Comitia generalia Cleri Gallicani; iis per sex menses continuos interfuit, & interea fuit habitus pro absente a choro, Capitulumque eum privavit distributionibus quotidianis eorum, qui assunt Officio canonico.

3. Injuste privatur distributionibus, cum ex justa necessitate fuerit absens. Utilitas Ecclesie est justa causa absentie a choro, ex eaque absens non minus referendus est inter presentes ac infirmus. Sic plures conventus Cleri declararunt, eorumque declarationes confirmati fuerunt per edicta majoris Consilii, nominatim 23. Febr. 1636. presente Rege, ubi expresse stabilitum est, deputatos ad Comitia Cleri durante tempore Deputationis sue habendos esse pro presentibus in suis Ecclesiis, eosque gaudere fructibus ac redditibus Canonice suorum, non solum grossis, sed & distributionibus manualibus ac quotidianis, cujuscumque conditionis ac nature sint, ac si actu ac personaliter deservirent in suis Beneficiis. *Pontas.*

DESIDERIUM.

1. *Desiderium* bonum est *Actus appetitus tendentis in bonum absens, ad illud aspirantis & anhelantis.* Duplex desiderii genus distinguendum est; aliud efficax, aliud inefficax: Efficax est *absentis boni affectus, quo posito sequitur effectus secluso impedimento*: Inefficax est *absentis boni affectus, quo posito non sequitur effectus, secluso impedimento.*

2. Omne desiderium potest esse bonum vel malum, mortale vel veniale, pro qualitate nimirum objecti.

CASUS I. Simonia singulari virtute scemina, considerans, dari in hoc mundo innumera mala & pericula labendi in peccata, etiam mortalia, prout jam plurimi experti sunt, sæpius desiderat mortem, ut citius eripiatur periculo, cui se videt expositam.

3. Potest absque peccato fovere in se affectum inefficacem seu complacentiam erga mortem, dummodo hoc fiat cum perfecta ac omnimoda resignatione in voluntatem divinam. Laudem meretur desiderium fundatum in amore Dei, & probatum per exempla Sanctorum. *Cupio dissolvi & esse cum Christo,* dicebat S. Paulus. *Eja Domine,* exclamabat S. Augustinus, *moriar, ut te videam... nolo vivere, volo mori.*

mori. Melior est mors, ait Sapiens, quam vita amara. Quid autem magis amarum, quam vita constanti timore offendendi Deum agitata? Pontas.

CASUS II. Eudoxius videns, Andream excidisse gratia Principis, gaudet de hoc, optatque, ne denuo in eam redeat; idque non ex motivo odii erga illum, sed quia sic ipsi sublata est occasio injuste persequendi quempiam ex propinquis suis, cujus fortunas per processum prorsus evertit, cuique multa alia notabilia damna intulit.

3. Non peccat per tale desiderium: quod enim licet inferre, id licet etiam optare. Licet enim gaudere de malo proximi in tantum, in quantum per hoc impeditur a perpetratione alterius mali, fors gravioris. Sic quis gaudet de punitione furis, aut Scriptoris impii. Ne autem hoc principium in perversum detorqueatur sensum, meminisse oportet hujus propositionis ab Innocentio XI. damnatæ: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali... de alicujus morte naturali gaudere, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* *Pontas.*

Vide *Charitas.*

DETRACTIO.

1. *Detractio*, ut a celebri quodam Theologo definitur, est *Alienæ famæ occulta & injusta denigratio.* Dicitur *occulta*; quia detractio plerumque fit in absentia illius, cui detrahitur, per quod & distinguitur a contumelia. Additur *& injusta*; quia potest dari justa & gravis causa vitium proximi manifestandi alteri. v. g. Presbyter cogitat in domum suam pro servitio conducere puellam, quam putat esse modestam, prudentem ac fidelem; ego autem scio, eam actu turpe fovere commercium. Hinc primum per motiva generalia ab hoc eum proposito avertere satago; cum autem hæc nihil efficiant, motiva particularia adhibeo, eique turpem puellæ vivendi licentiam detego. In hoc casu nemo me arguet peccati detractiois; quia hæc manifestatio non solum injusta non est, sed fundatur potius in justitia & charitate: multum enim interest & Ecclesie & boni publici & privatorum, ut sacerdos servet famam suam, quæ infallibiliter pateret, si in servitio suo retineret puellam adeo dissolutam.

2. Juxta Divum Thomam, detractiois reum se facere quis potest 1. Falsum proximo vitium imponendo. 2. Vitium, quod commisit, exaggerando. 3. Revelando alteri vitium ignoranti. 4. Malitiose servando silentium, quando

do proximus laudatur, aut bona, quæ de ipso deprædicantur, viva voce aut signis diminuendo. 5. Actione; bonas in malam partem interpretando.

3. Detractio ex suo genere est peccatum mortale, nec nisi ex circumstantiis veniale fieri potest. Ut autem cognosci possit, utrum detractio sit veniale peccatum vel mortale, respiciendum est ad qualitatem detractiois, ad qualitatem personæ, cui detrahitur, ad effectus inde ortos, & ad intentionem, qua detrahitur,

4. Detractio æquiori titulo, quam furtum, ad restitutionem obligat; quia honor proximi, qui per detractioem læditur, est longe majus bonum quam alia bona temporalia, quæ a fure auferuntur. Qui cum complacentia aut curiositate detrahenti aures præbet, & ipse fit peccati particeps; & ille, qui detrahentem non reprehendit, quando ratione officii aut status teneretur, aut saltem posset, adhuc gravis peccat.

5. Qui sibi ipsi detrahit, gravius peccat, quam qui detrahit alteri; quia ex præcepto charitatis quilibet tenetur magis diligere seipsum, quam proximum. Detractio est vitium & peccatum adeo universale, ut etiam homines ab aliis vitiis immunes, in hoc tamen sæpissime delinquant; estque hoc ultimum, quo dæmon hominibus insidiatur.

CASUS I. Oldradus in occulto vivit admodum libidine; advertens id Simon vicinus ipsius, rem detegit Romano Oldradi patruo, non alio ex motivo, quam ut communi consilio malo medeantur. Peccavi ne Simon?

ꝛ. Certe non peccavit; quia tantum intendit emendationem Oldradi. S. Basil. in reg. brevior. respons. ad interrog. 25. *Siquidem*, ait S. Thomas 2. 2. q. 73. art. 2. c. *verba*, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Pontas.

CASUS II. Nemefius cum sciret, quod Octavia puella prudens, sed simplici spiritu prædita sæpius visitaretur a vitæ solutioris juvene, imo & ipsa frequentaret societatem, cui juvenis hic interesset, monuit Octaviam, & quidem sæpius, ut juvenem hunc evitaret, verum semper frustra. An Nemefius Octaviam convicturus de obligatione evitandi hunc juvenem, potest eidem manifestare effœrenatam vitæ libertatem hujus juvenis?

ꝛ. Nemefius nequaquam committit detractioem; quæ responsio autoritate S. Basilii firmatur. *Item*, inquit loc. cit. *quando necessitas poscit, ut periculo consulatur aliquorum, qui*

qui sæpe numero ex ignorantia commisceri possent cum malo, tanquam cum bono. Ratio autem est; quia Nemefio plus cordi esse debet salus Octaviæ, quam honor juvenis, quocum ipsi consuetudo: non enim datur obligatio conservandi famam hominis pravi cum detrimento honoris ac salutis personæ innocentis. Hinc & Salvator discipulos hortatur, ut caveant a fermento & hypocrisi Phariseorum, qui tamen amplissimo in honore erant Judæis. Pontas.

CASUS III. Pantaleon filiamfamilias Vicini sui secreto corruptam esse non ignorans, id uxori suæ aut amico intimat; præcipit tamen, ut hac de re nunquam quid loquatur. Peccatne?

ꝛ. Certo peccat, saltem si justam hoc manifestandi rationem non habuerit: Id enim in præjudicium hujus puellæ vergit; quod sufficit ad hoc, ut Pantaleon peccet. S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. ad 2. Nihilominus excipi casus debet, si quis talia manifestaret ex hoc fine, ut impediatur, ne & suæ filix societatis ejusmodi periculosas frequentent. S. Chrysostomus ridiculum existimat eum, qui a peccato immunem se arbitratur ex eo; quia detectum a se fratris sui peccatum vult in secreto tenendum: silentium imperat alteri, quod ipse non servavit. *Hoc vero ridiculum magis est*, inquit Hom. 3. ad pop. Antioch. *quod talem habentes vitam, & res suas negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicatur, hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserunt: si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huc dicere non oportebat.* Pontas.

CASUS IV. Faustinus ex levitate & loquendi libidine quidquam notabiliter diminuens famam Fabii Paulo detexit, sine intentione tamen Fabio nocendi. Peccavitne mortaliter?

ꝛ. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 73. art. 2. in corp. illi, qui malum dicit de proximo suo manifestando aliquid, quod notabiliter illius famam diminuit, & cum intentione eam denigrandi, peccat mortaliter. Qui autem id facit ex mera levitate animi, & sine formali intentione denigrandi proximi famam, videtur excusari posse a peccato mortali; saltem si id, quod manifestavit, non sit nimis probrosum, læsivumque. Ex quo concludendum, detractioem, etiam si ex imprudentia ac levitate fiat, non considerandam esse ut peccatum leve; si ex manifestatione defectum notabile proximo damnum inferatur. Pontas.

NOTA. Dicent fors detractores, se loqui tantum de defectibus proximi, collocutioni materiam suppeditandi, tempus fallendi, tædium-

diumque pellendi gratia, absque omni intentione nocendi cuiquam. Verum qua ratione sibi persuadebunt, ejusmodi discursus honori ac famæ aliorum præjudiciosos excusari posse? an non pessimi exinde effectus consequuntur? an non audientibus contemptum ac vilipensionem ingerunt illius, cujus defectus traducuntur? An non frequenter contingit, ut ipsa narratione vitia proximorum ultra meritum aggraventur? an non locutiones istæ charitati vel maxime adversantur? vellentne mordaces isti sibi met ipsis fieri, quod aliis faciunt? & quo id animo ferrent? certe indignabundissimo. Interea licet non dicamus, detractionem semper esse mortale peccatum, est tamen semper peccaminosa. C. D.

CASUS V. Antonius in quodam conventu, cui intererat, quamdam detractionem audivit, notabiliter læsivam honoris cujusdam nobilis fœminæ, nec se opposuit. Peccavitne mortaliter?

ꝛ. Juxta SS. Hieronymum & Bernardum haud ita facile est judicare, utrum gravius peccet, qui detrahit, aut qui detrahenti aures præbet; sæpe qui cum complacentia detrahenti auscultat, non minus quam detrahens ipse peccat. Imo potest aliquando auscultans gravius peccare quam detrahens, si detrahentem excitet, aut ipse libenter audiat ratione odii, quod erga illum, cui detrahitur, fovet. Si vero cuidam detractio displiceat, quamvis non audeat, aut negligat opponere sese, peccat quidem, sed tamen non ita graviter, ac detrahens, hocque peccatum ordinarie est tantum veniale; quandoque tamen & mortale, si vi officii teneretur corrigere detrahentem, aut effectus inde secuturos prævideret, quos tamen se opponendo impedire potuisset. *S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4. in corp.* Potest autem quis variis modis detrahenti se opponere 1. imponendo silentium, si potestas & autoritas non desit. 2. Palam reprehendendo detrahentem, si prærogativa conditionis aut status permittat. 3. Apte detorquendo discursum ad aliud objectum, aut expe- tendo a detrahente aliam colloctionis materiam. 4. Nec verbum proferendo, aut gravitate vultus displicentiam præferendo: sicut enim Proverb. 25. *ventus aquilo dissipat pluvias, ita & facies tristis linguam detrahentem.* 5. Discedendo ex societate, in qua detrahitur juxta illud Prov. 4. *Remove a te os pravum, & labia detrahentia sint procubæ te.* 6. Contradicendo, si sit detractio calumniatoria; si vero vitia, quæ de proximo enarrantur, vera esse noscuntur, non est oppositum propugnandum. *Pontas.*

CASUS VI. Arnoldus verba detractoria portulit notabiliter infamantia, aut potius calumniatoria contra Parochum suum. Parocho hanc injuriam famæ suæ adeo pernici-

ciosam æquo animo sustinere volenti dicitur, quod in conscientia obligetur petere reparationem famæ, & quidem a judice, ob malos, qui ex hoc silentio nasci possent, effectus. Quid agendum?

ꝛ. Potest, imo debet petere reparationem injuriæ ab Arnolde sibi illatæ. *S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 3. C.* Evangelium quidem pluribus in locis nobis commendat condonationem injuriarum. Verum Christus ipsemet sese tuendum judicavit adversus calumnias Pharisæorum. Sic & S. Paulus coram Rege Agrippa defendit se contra calumniantes Judæos; & ipsa Ecclesia primis sæculis amovit a se injurias ac maledicentiam gentilium propugnando honorem suum, puritatemque fidei ac doctrinæ suæ. Multo magis in casu præsentis dici potest cum S. Augustino, honorem Clerici, maxime Parochi, potiori jure pertinere ad Ecclesiam, quam ad ipsum Clericum; & consequenter eum obligari, ut pro viribus impediatur, ne perversi profcindant famam suam, pastoremque reddant objectum opprobrii in oculis plebis suæ. *Providemus enim*, ait Apostolus 1. Cor. 8. *bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Interim tamen, si certus foret Parochus, ex detractione malum haud sequi posse effectum, satius esset, si delinquentis emendatione contentus non ultra urgeret punitionem. *Pontas.*

CASUS VII. Titius de paupere quadam fœmina tam male locutus est, ut Petrus, qui eandem ex sua liberalitate sustentabat hæctenus, omnem jam ei eleemosynam subtrahat. Ad quid tenetur Titius?

ꝛ. Tenetur primo ad restitutionem famæ mulieri ablatae, dein etiam ad reparandum damnum per detractionem illatum. Ratio est; quia injuste impediens quempiam a consecutione boni, quod certe fuisset consecuturus, tenetur restituere, non quidem juxta valorem boni, sed juxta valorem ac proportionem spei, quam habuit bonum illud consequendi. *Lugo. Girib. Homob. C. B.*

CASUS VIII. Sacerdos multæ in oppido existimationis vir, ut cuidam concionatori amico suo tempore Quadragesimæ ad populum dicenti auditorum numerum augeter, eundem ultra meritum extollit, alium vero concionatorem ex omni parte meliorem haud parum deprimit. Peccatne?

ꝛ. Si Presbyter hic carpit etiam zelum & mores Concionatoris, quem deprimit, graviter peccat, teneturque ad reparationem damni calumniis suis aut detractionibus illati. Si vero eundem tantum deprimat ob eloquentiam & modum dicendi, peccat contra veritatem simul, & charitatem; non

tamen ad ullam restitutionem saltem ex titulo iustitiæ tenetur. C. B.

CASUS IX. Antonius calumniis suis falsisque delationibus quemdam Clericum ab obtentione Beneficii, quo dignus esset, impedit, ideo duntaxat, ut Beneficium obtingeret alteri adhuc digniori. Peccatne?

R. Antonius ex titulo iustitiæ tenetur ad reparandam injuriam calumniis suis Clerico & ejus famæ illatam. De cætero tamen, cum Ecclesiæ mens sit, ut Beneficia conferantur dignioribus, ad nihil tenetur Antonius, eoquod impedit Clericum ab obtinendo Beneficio, si id tantum est factum ideo, ut conferatur digniori. *D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Gotti de restit. dub. 3. §. 1. n. 5. & 6. C. B.*

CASUS X. Fœmina quædam sæpe a marito suo male habita, mitigatura nonnihil iram inde conceptam, certos mariti sui defectus aliis fœminis detegit. An nonnisi venialiter semper peccat, quotiescunque id facit?

R. Aut detegit tantum defectus leves, parumque marito præjudiciosos, aut defectus notabiles, ex quibus etiam diffamari posset? aut quod plus est, an pluribus personis, & talibus, a quibus consolationem in malis suis accipere & sperare non potest, aut tantum duabus aut tribus. Si primum, si nimirum tantum leves defectus pluribus personis manifestat, peccat venialiter. Si vero defectus sint notabiles, eosque pluribus, a quibus sperare consolationem non potest, vel etiam uni, de qua scit, quod aliis audita referat, deliberate manifestat, peccatum quoque mortale est. *Bonacina. Sporer.*

CASUS XI. Fabritius fœminæ ejusdam nobilis domesticus, quemdam defectum moralem illius fat notabilem manifestavit nobili cuidam, qui eum in hac persona nunquam hætenus adverterat, neque tamen ulli hominum detecturus est. Peccavitne?

R. Si id factum ex causa gravi, motivoque rationabili, non peccavit Fabritius; secus autem peccavit graviter. Ratio primæ partis est; quia causa legitima potest cohonestare ejusmodi manifestationem; qualis v. g. esset, si Nobilis iste cogitaret inire matrimonium cum dicta matrona, ac de dotibus ejusdem informationem petiisset a famulo domestico: tunc enim non solum posset, sed etiam deberet indaganti detegere defectum. *Viva q. 7. de rest. art. 2. n. 6.* Ratio posterioris est; quia absque legitima ac rationabili causa talis manifestatio vera esset detractio, & quidem in materia gravi. C. B.

Vide *Restitutio*. cas. 61. & octo sequentes.

DE-

DEVOLUTIO.

1. *Devolutio* proprie loquendo nihil est aliud, quam medium extraordinarium impetrandi Beneficium ob incapacitatem Titularis, aut illius inhabilitatem ad possidendum Beneficium, aut ob defectus essentielles, qui in ejus Titulis reperiantur, aut denique propter aliquod crimen, quo Beneficio suo meretur privari. Ecclesia hoc medium introduxit ad arcendos a Beneficiis Ministros indignos.

2. Beneficia devolvuntur vel devolutione juris, vel facti. Eadem vacare possunt *ipso jure* non solum propter enorme crimen a Titulari commissum, sed etiam propter crimina, quæ in jure vocantur *quasi-delicta*, id est, propter quosdam abusus, qui adversantur disciplinæ Ecclesiasticæ.

3. Primum *quasi-delictum* seu abusus est impetratio Beneficii incompatibilis cum eo, quod actu possidetur. Secundum, quo vacat Beneficium ipso jure, est quando Beneficiatus matrimonium contrahit *per verba de presenti*. Tertium est, quo pariter ipso jure vacat Beneficium, si illud est Sacerdotale a *fundatione*, & provisus de eo nondum sit Sacerdos: si enim est Sacerdotale solum a *lege*, sufficit, si Titularis intra annum suscipiat Presbyteratum. Quarto demum vacat, dum Beneficiatus solemnem Religionis professionem emittit.

4. Sunt autem crimina, ex quibus Beneficium devolvi potest, sequentia. 1. Hæresis, & publica protectio eorum, qui hæresin profitentur. 2. Simonia realis & confidentialis. 3. Falsificatio literarum Apostolicarum. 4. Homicidium deliberatum, maxime circa personam Ecclesiasticam perperatum. 5. Violenta aggressio aut percussio Cardinalis. 6. Crimen læsæ Majestatis. 7. Sodomia legitime ac plene probata. 8. Injuriosa violentia proprio Episcopo illata v. g. percussio aut in carceratio. 9. Adulteratio monetæ. 10. Violentia illata Beneficiato, animo eum cogendi ad resignationem Beneficii.

5. Quæ ad devolutarium spectant, sunt sequentia. 1. Obtentis Roma provisionibus, expeditoque desuper *Visa*, ac adita etiam publice possessione inquietandus prior Titularis, eique litis contestatio insinuanda, idque intra tres menses ab adita possessione juxta declarationem regiam de anno 1646, vi cujus intra biennium ad summum processus sententia definitiva finiendus est. 2. Indicare debet locum nativitatis suæ. 3. Eligendum est ipsi coram Judice domicilium intra limites Parlamenti, in quo Beneficium situm est. 4. Præstanda sus-

ficiens cautio de iudicatum solvi, quamprimum fuerit petita, eaque consistit in summa 500. librarum; quod si non fiat, non auditur. 5. Non se immisceat in perceptionem fructuum Beneficii juxta ordinationes de annis 1550. & 1572. & quidem sub poena excidendi jure possessionis.

6. Si Devolutarius occupata possessione actionem non instituit contra Devolutum, resignatio Beneficii, quam hic facturus esset, foret valida: & si Devolutus moreretur, priusquam resignatio ipsius admessa fuerit, Beneficium vacaret per mortem. Nihilominus quoad primam observationis hujus partem excipiendus est casus, quo quis simoniaci sibi Beneficium procurasset: tunc enim, quidquid judicetur in foro externo, resignatio facta in favorem absolute foret nulla.

CASUS I. Flaccus Prior de duplici crimine convictus est, scilicet de adulterata moneta, & illata violentia Parocho cujusdam Parochiæ, cujus ipse Patronus erat, quem coegit ad resignationem sui Beneficii in favorem cujusdam nepotis sui. Interea Vincentius in Curia Romana fuit provifus de Prioratu Flacci per devolutionem, et si sententia contra Flaccum contumacem lata eum non declaret privatum suo Beneficio, Flaccusque post sententiam resignaverit Prioratum.

3. Vincentius tuta conscientia potest capere possessionem Prioratus, illumque sibi vindicare jure devolutionis, & vi approbationis & vidimationis (visa) provisionum Romanarum ab Episcopo factæ. *Pontas.*

CASUS II. Agnanus Augustæ vindelicorum natus jam ultra viginti annos in Gallia se detinens, in Curia Romana fuit provifus de simplici Prioratu Diocesis Parisiensis. Renatus autem Clericus tonsuratus Diocesis Carnutensis procuravit sibi provisionem hujus Prioratus per devolutionem, eoque ejicere vult Agnanum.

3. Si Agnanus non fuit naturalisatus, Renatus ut legitime provifus potest capere possessionem Beneficii. Legibus regni cautum est, ne extraneus ad ullum Beneficium admittatur in Gallia, ni prius literas indigenatus obtinuisse. Sufficit autem, si ejusmodi literæ obtineantur ante litis pendens decisionem. Sic iudicatum in Parlamento Divionensi. *Pontas.*

CASUS III. Dominicus Diaconus obtenta jam a quadriennio Abbacia intra primum annum non recepit Presbyteratum, quod tamen verbis expressis Bullæ provisionum exigebant. Unde alius quidam jure devolutionis fundatæ in neglectu

glectu recipiendi intra annum Presbyteratus hanc Abbaciam obtinuit.

3. Clausula hæc de recipiendo intra annum Presbyteratu Provisionibus Romanis adjecta in Gallia tantum habetur pro comminatoria; & Devolutarius ad summum posset obtinere contra Dominicum sententiam, vi cujus intra sex menses aut annum deberet recipere Presbyteratum sub poena privationis Beneficii sui. *Pontas.*

CASUS IV. Prioratus S. Syraci dependens ab Abbacia S. Florentii Ordinis S. Benedicti a triginta & amplius annis in Commendam datus per mortem Commendatarii factus est de novo regularis, & Abbas quemdam ex Religiosis suis de eo providit. Tribus quatuorve annis elapsis novus hic Prior Beneficium illud in Commendam resignavit Ludovico Presbytero sæculari, nepoti suo, quin in supplicatione desuper Papæ facta expresserit, Prioratum illum in pristinum suum statum fuisse restitutum. Hinc alius quidam Religiosus ejusdem Ordinis per devolutionem fuit provifus de hoc Prioratu contra Ludovicum, qui utpote sæcularis de eo provideri non potuit.

3. Devolutio est justissima, & Devolutarius potest absque peccato persequi jus suum. Decisum fuit in majori Senatu 2. Sept. 1648. quod Beneficium ex natura sua regulare, ex quo possessum fuerit a Religioso, non possit resignari in Commendam, saltem nisi in actu resignationis desuper factæ exprimaturs status præsens, in quo Beneficium deprehenditur. *Pontas.*

CASUS V. Lucretius Doctor Theologiæ & Decanus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis in Gallia non potest gaudere quibusdam juribus nisi post defensionem Thesium ultimam, quæ Gallice vocatur *la Resompie*, quam nondum sustinuit. Hinc falsas conficit testimoniales literas peractæ jam defensionis. Falsitatem brevi detectam ipse Lucretius fatetur facultatis Syndico; & proin e catalogo Doctorum expungitur, omnibusque juribus Doctoratui annexis privatur. Ambrosius id sciens vi devolutionis sibi quærit Beneficium Lucretii, quod & Papa ipsi concedit cum mandato ad Officium Diocesanum directo, Lucretium privandi Beneficio, & Ambrosium legitime de eo provifum declarandi.

3. Si omnia in expositione allata vera sunt, sine dubio Lucretius crimine falsi tenetur: nihilominus non excidit suo Beneficio nisi primum post sententiam. Hinc Officialis absolute tenetur infruere processum conformiter ad ordinem iudiciale stabilitum per Edictum de anno 1667.; neque ipsi per-

permiffum est inchoare proceffum per interrogatoria ad accusatum directa, eumque condemnare ex sola confessione criminis ab ipfo edita. *Pontas.*

DIGNITAS ECCLESIASTICA.

Vide ARCHIDIACONUS. DECANUS. POENITENTIARIUS. SCHOLASTICUS.

DIGNITAS SÆCULARIS.

CASUS. Princeps Catholicus evehit ad dignitates feculares Statuum fuorum hæreticos de fe, & bono publico provincie sue optime meritos.

R. Potest eos evehere; dummodo id non fiat in præjudicium Religionis Catholicæ, aut in favorem fectionis, quam profitentur. *De Lanet.*

NOTA. In regno pure Catholico id principi non licet; quia hæresis ut cancer ferpit, & instar zizaniorum femper germinat. In regno autem mixtæ religionis fervanda quidem funt pacta solennia; sed favor ultroneus non potest licite exhiberi hæresi, nec directe nec indirecte.

DIMISSORIÆ.

1. *Dimifforiæ* funt Literæ, quas ab Epifcopo fuo aut a Capitulo Sede vacante quis accipit, ut tonsura vel ordinibus possit initiari ab alio Epifcopo. Quando *Dimifforiæ* continent clausulam generalem: *Ut a quocumque Epifcopo*, instructus his literis poterit pro recipiendis ordinibus adire Epifcopum, quemcumque voluerit, dummodo valide ordinare possit. Absque hac clausula generali adeundus est Epifcopus in *Dimifforiis* designatus.

2. Tonsuratus ab alio Epifcopo absque *Dimifforiis* a fuo Epifcopo vel originis vel domicilli vel Beneficii obtentis, non potest recipere ullum Ordinem, nec provideri de aliquo Beneficio absque literis Papalibus, quæ dicuntur *Perinde valere*. A fortiori nemo potest recipere Ordines absque *Dimifforiis* sui Epifcopi. Epifcopus conferens Ordines extraneo literis *Dimifforiis* non instructo suspensionem incurrit a collatione ordinis per annum; & Diocesani ipsius possunt per id temporis pro recipiendis ordinibus adire vicinum Epifcopum.

3. A-

3. Alias Capulum Sede episcopali vacante gaudebat jure dandi *Dimifforias* a primo instanti vacationis. Verum Concilium Tridentinum excepit primum annum, quo pendente non potest dare *Dimifforias*, nisi in casu, quo Clericus teneatur recipere Ordines ratione Beneficii, quod ex fundatione sua requirit sacros Ordines, sive dein Titulum consecutus jam fuerit, sive consecuturus fit: nisi hoc solo casu, ait Caballutius, cum quis Beneficii Ecclesiastici, sive recepti, sive jam recipiendi occasione ardeatur ad aliquem Ordinem recipiendum. Si Sedes vacet ultra annum, potest Capulum dare omnes ad quosvis Ordines *Dimifforias*: Et necdum repleta sede, inquit idem, potest deinceps Capulum ejusmodi licentias Et *Dimifforias* concedere indifferenter.

4. *Dimifforiæ* Clerico concessæ ab Epifcopo vel Capitulo Sede vacante valent & subsistunt, etsi Epifcopus his concessis statim moriatur, nisi a Successore expresse fuerint revocatæ.

5. Quod attinet *Dimifforias Regularium*, de iis sermo erit in Responsione ad Casum 5. hujus Tituli.

CASUS I. Pomponius Acolytus obtinuit Roma Rescriptum, quo ipsi permittitur recipere sacros Ordines a quocumque Epifcopo.

R. Verum quidem est, quod Pomponius vi hujus Rescripti possit ordinari ab alio Epifcopo absque *Dimifforiis* sui Epifcopi; necessarium tamen est, ut ab Epifcopo suo habeat testimonium de vita & moribus: alioquin non minus incurreret suspensionem, ac si ordinaretur absque *Dimifforiis*. *Pontas.*

CASUS II. Lotharius Acolytus accepit a fuo Epifcopo *Dimifforias* pro recipiendo Subdiaconatu, a quocumque Epifcopo voluerit. Post aliquot dies moritur Epifcopus, & Lotharius dubitat, num *Dimifforiis* hisce licite uti possit.

R. Ratio dubitandi nullius prorsus momenti est; quia est amplum discrimen inter gratiam a Superiore concessam, & inter potestatem ab eo delegatam: id enim, quod est puræ gratiæ, ut sunt Literæ *Dimifforiæ*, subsistit femper, etiam post mortem concedentis. Gratia ait Bonifacius VIII. in Cap. Si super 9. de Offic. & pot. Jud. deleg. in 6. licet nondum sit in ejus executione processum, morte non perimitur concedentis. Ex eadem ratione non expirat approbatio Confessariorum per mortem Epifcopi, nec indulgentiæ aut aliæ gratiæ, nisi cum expressa restrictione solum fuerint concessæ usque ad mortem concedentis.

CA-

CASUS III. Valentinianus volens obtinere ab Episcopo suo Dimissorias pro recipiendo Diaconatu, adiit Vicarium Generalem, a quo & eas obtinet.

R. Si Vicario Generali in commissione Vicariatus non est collata specialis facultas concedendi Dimissorias, habendæ sunt pro nullis. Bonifacius VIII. *Cas. 3. de tem. Ordinat. in 6.* permittit quidem Vicario Generali, ut possit concedere literas Dimissorias Episcopo in remotis agente; cum autem hujus clausulæ varia sit interpretatio, securius aget Vicarius Generalis, si absente Episcopo nunquam concedat Dimissorias, nisi specialis ipsi potestas facta sit. *Pontas.*

CASUS IV. Trebellius vacante Sede episcopali petit a Vicario Generali Capituli Dimissorias pro recipiendis Ordinibus.

R. Si Sedes episcopalis nondum vacat per annum integrum, aut nisi gravis necessitas urgeat Trebellium ad recipiendos Ordines, qualis foret Beneficium actu receptum aut proxime recipiendum, Vicarius Generalis Capituli non potest ipsi concedere Dimissorias; & si concedat, Interdicto subiacet Ecclesiastico; cum extra casum necessitatis, aut nondum elapso vacationis anno Capitulum non habeat potestatem concedendi literas Dimissorias. Notandum autem, quod Sedes Episcopalis tamdiu censeatur vacare, usque dum novus Episcopus ceperit possessionem. *Non liceat Capitulis*, ait Concilium Tridentinum Sess. 7. c. 10., *Sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut literas Dimissorias... tam ex juris communis dispositione quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione articulus non fuerit, concedere. Si fecus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subiacet interdicto, Et sic ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in criminabilibus gaudeant; in majoribus vero ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso jure suspensi.* Dum Capitulum potest dare Dimissorias, potest etiam concedere necessarias dispensationes, ut Episcopus: *Capitulum enim*, ait Caballutius, *Sede vacante regulariter succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi, nisi in solis casibus a jure expresse prohibitis; ideoque potest similiter in Dimissoriis ab interdictis dispensare.* *Pontas.*

Vide *Cas. 8.*

NOTA. Dantur Capitula, quæ etiam durante primo anno vacationis concedunt Dimissorias ad tonsuram; & alia concedunt ad Ordines quoque, iis tamen, qui sunt de gremio Capituli.

CA-

CASUS V. Adrianus Prælati regularis cuidam suorum Religiosorum dedit Dimissorias, quibus ei permittit recipere Sacros Ordines, a quocumque Episcopo Provinciæ voluerit.

R. Regulariter loquendo Religiosus iste non potest uti his Dimissoriis: necesse enim est, ut Prælati regulares Religiosos suos, quibus concedunt Dimissorias, dirigant ad Episcopum diocesanum, in cujus Diocesi situm est Monasterium; & si Episcopus diocesanus vel sit absens, vel non instituat Ordinationem, possunt Religiosi hujusmodi a suis Prælati Dimissoriis instructi adire alium Episcopum pro recipiendis Ordinibus, dummodo præter illud etiam expresse contineatur in Dimissoriis, quod Episcopus diocesanus sit absens aut non instituat Ordinationem. Præterea notandum, quod Superiores regulares, quantumvis exempti sint, potestatem concedendi Dimissorias tantum habeant respectu Religiosorum sibi subditorum: si aliter faciant, ipso jure suspensi sunt ab Officio & Beneficio. *Pontas.*

NOTA. 1. Superior regularis ob dandas suo Religioso Dimissorias, non potest tuta conscientia expectare, usque dum Episcopus fuerit absens, aut Ordines non conferat, aut sedes episcopalis fiat vacans; ageret enim sic in fraudem. 2. Dum monasterium est nullius Dioceseos, Abbas tenetur mittere suos Religiosos ad Episcopum proximorem; & hæc major proximitas non a contiguitate territorii, sed a distantia utriusque Ecclesiæ, Episcopalis scilicet & Abbatialis desumenda est.

CASUS VI. Theobaldus Subdiaconus Diocesis Mariscouensis accepit a suo Episcopo Dimissorias ad Archiepiscopum Lugdunensem pro obtinendo Diaconatu. Hic autem collationem Ordinum commisit Episcopo titulari. An non egit Theobaldus contra intentionem sui Episcopi, & sic suspensionem incurrit?

R. Ordinatio Theobaldi est legitima: dum enim Episcopus Ordines confert in alia Diocesi, rogatus scilicet aut requisitus a proprio loci Episcopo, vel eo absente aut decumbente a Vicario Generali; aut invitatus honoris causa, sola permissio ab Episcopo diocesano vel Vicario Generali facta Episcopo extraneo conferendi in Diocesi Ordines sufficit, & tenet locum Dimissoriarum. Hæc autem permissio debet exprimi in literis testimonialibus collatorum Ordinum, eæque signari ac subscribi ab Episcopo loci aut ejusdem Vicario Generali. *C. D.*

CASUS VII. Martianus Clericus Diocesis Andegavenensis recipit Ordines ab Episcopo Laudunensi absque Dimissoriis, quas